



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Tilman||ni Smelingi Segeber=||gensis de VII.  
Sacramentis Liber I. in || VII. capita iuxta numerum  
sacramen||torum digestus, quorum assertionem,||  
defensionemq[ue] aduersus hæreticos con||tinet, ...**

**Smelingus, Tilmannus**

**Coloniæ, 1538**

**VD16 S 6802**

De Sacramento Ordinis. Capvt III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30214**

## CAPVT III.



Missio ordine sacramentorum in principio libri a nobis assignato, deinceps de ordinis sacramento tractabimus, quia tam baptismus quam confirmatio ordinem præcedunt.

**Ambr.**  
Hist. eccl.  
lib. 11. c. 11  
hist. trip.  
lib. 7.

Vnde Ambrosius catechumenus adhuc in episcopum Mediolanensem electus, statim iussu imperatoris Valentiniani baptizatus est, & sacri baptismatis dono potitus, initiatus sacris, gratiam simul suscepit episcopatus. Præterea ordo ipse ad eucharistiæ consecrationem ceterorumque sacramentorum dispensationem, institutus est. Vt ergo in sacramento ordinis iusto procedamus ordine, necessarium duxi prius aperire, in qua significatiõ ordo dicatur esse sacramentum. Augustinus de ciuitate dei hunc in modum ordinem describit: Ordo est parium dispariumque rerum sua loca cuique tribuens dispositio, vbi ordinem accipit pro habitudine quadam, quam res ordinatæ inter sese habent. Et hoc modo ordo nequit esse sacramentum. Sic enim nihil aliud est ordo, quam digestio quædam, & in suo cuiusque loco collocatio. Velut in acie fit, vbi pedites, vbi alæ. Vel in ciuitatibus, vt ordo senatorius, ordo equestris. Hoc ordine alij dicuntur superiores, alij inferiores, siue hoc sit in statu seculari siue ecclesiastico. Alio modo accipitur pro signo quodam, hoc est pro eo quod

**August.**

exterius sensibiliter geritur circa hominē, vt gradum aliquem super alios consequatur. Fit autem hoc, quum alicui traditur calix cum pane & vino ab antistite, vt in gradu & honore sacerdotij super plebem constituatur. Et iuxta hanc intelligentiam & significationem, ordinem nouæ legis sacramentum esse asserimus. Manifestatur hoc primo ex eius definitione, quam tradit magister sententiarum in hæc verba: Ordo est signaculum, id est sacrum quoddam quo spiritualis potestas traditur ordinatis & officium. Ordinem signaculum vocat, hoc est, sacramentum quoddam ordinatis sensibiliter collatum, quo illis traditur potestas spiritalis & officium conficiendi eucharistiam, & alia sacramenta administrandi. Quod quum citra gratiam digne fieri nequeat, consequitur vt in susceptione ordinis, is qui ordinatur, etiam gratiam consequatur, seu potius eius augmentum, vt noui testamēti minister efficiatur idoneus. Unde magister de ordinibus differens addit: Et dicuntur hi ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia cōfertur, quam figurant ea, quæ ibi geruntur.

¶ Dein confirmatur scripturarum autoritate. Christus enim in vltima cœna comesto a-

Matt. 26  
Marc. 14.  
Lucæ, 22.

gno pasicali typico, ablutisque discipulorum pedibus, ad mensam residens, accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam cōmemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro

G

vobis fundetur. Hic Christus non tantum seipsum sub specie panis & vini sumendum tradidit discipulis suis; sed etiam præcepit, ut in sui commemoratione hoc ipsum facerent, quod ipse tum faciebat, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Contulit itaque Christus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech Apostolis potestatem super corpus suum verum hoc est, ut ex pane & vino conficerent eucharistiæ sacramentum, in quo ipse vere sumitur, sicut suo loco dicemus. Quum ergo ordo præcipue ordinetur & institutus sit ad corporis Christi consecrationem, quæ solis competit sacerdotibus, manifeste consequitur Christum in nouissima cœna apostolos in sacerdotes ordinasse, nec non & ipsum ordinis sacramentum instituisse. Post resurrectionem quoque suam tribuit apostolis suis potestatem, quam vocant iurisdictionis, super corpus suum mysticum, quod est ecclesia, dicens: Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hæc quum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Hæc autem potestatem, sicut & priorē, constat ad ordinis sacramentum pertinere. Et quis nunc tam cæcus est, qui non prospiciat ordinis sacramentum, in euangelio a Christo institutum? Nolo adhuc orthodoxorum patrum sententijs nostra corroborare, quum Paulus gentium doctor & Apostolus (quod etiam verissime de seipso ausus fuit dicere, an experimentum eius queritis quod in me loquitur Christus) ordinem sacramentum esse pronunciauerit; neque id vno loco, neque obscure.

Iohan. 20.

2. Cor. 13

Ex multis pauca adducā. Timotheo sic scribit: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Commonefacit Apostolus Timotheum ne gratiam episcopalem aut sacerdotalem negligat, quam per prophetiam, hoc est, sanctorum electionem, acceperat, cum impositione manus presbyterij, quæ impositio manuum gratiæ collationem significabat. Sic enim in principio nascētis eccles. electiones celebrabatur nec aliquis assumebatur ad episcopatus dignitatem, nisi per electionem diuinā, quā Aposto. prophetiam appellat. Atque utinam nostris tēporibus qui sacris initiatur, & præsertim qui in episcopali dignitate constituti ecclesiæ gubernacula moderantur, per inspirationem diuinam eligerentur. Melius profecto actum esset cū ecclesia CHRISTIANA. At nunc magna ex parte impletum esse videmus, quod Sapiens in Prouerbijis quasi diuinādo scribit: Quū propheta, hoc est, talis modus eligendi, defecerit, dissipabitur populus. Et alio loco Paulus ad Timotheum scribens dicit: Qui bene præfunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Et post pauca: Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Et iterum: Manus cito nemini imposueris, neque comunicaueris peccatis alienis. Tito quoque scribens ait: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates PREBYTEROS: sicut & ego disposui tibi. In actis item

1. Tim. 4

Prouer. 29

2. Tim. 5

Tit. 2

Actu. 13.

Apostolorū spiritus sanctus dixit ministris ecclesie, quæ erat Antiochiæ: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidē missi a spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. Hæc loca plane indicant, sacerdotes non consensu communitatis, vt Lutherus somniat, sed sola episcopi ordinatione fieri per impositionem manuum, in qua per externum signum, deus homini præstat gratiam. Quod si verum est, ordinē sacramentum esse necesse est, & gratiam conferre. Multa quidem hoc loco ex Paulo commemorare possemus, si exacte ex Paulo cætera prosequi, animus esset. Vnum adhuc locum citare cōstitui, qui etiam pro nobis facit. Omnis inquit, pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad deū vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Nemo profecto (nisi me mea fallat opinio) tā stupidus est, qui ignoret, dona & sacrificia offerre, munus esse episcopoz & sacerdotū nō laicorū.

Hebr. 5.

Impositio vero manū etiā in veteri testamēto mysterio nō carebat. Nā quū præcepisset dñs Moyse, vt tolleret Iosue filiū Num, viz in quo erat spūs dei, vt poneret manū suā super eū, fecit Moyse vt pceperat ei dñs. Cūque tulisset Iosue, statuit eū corā Eleazaro sacerdote & oī frequentia populi, & impositis capiti eius manibus, cuncta replicauit, quæ mandauerat dominus. Et ne quis in nouo testamento hanc impositionem manuum inanem arbitretur, sciat in euangelio paruulos Christo oblatos

Num. 27.

Act. 19.

vt manus eis imponeret, & oraret. Apostol<sup>i</sup>  
 quoque septem diaconibus manus imposuerunt  
 quemadmodum, Luca testante, acta eorum te *Actu. 6.*  
 stantur. Sic enim de ijs scriptum legimus: Hos  
 statuerunt ante conspectum apostolorum, & orā-  
 tes imposuerunt eis manum. Hęc dicta sint cō-  
 tra eos, qui omnes ecclesię cæremonias nō se-  
 cus atq; somnia quadam ac deliramēta, & vt  
 ipsorum verbis vtar, humana figmenta ridēt  
 nihilq; plane virtutis inesse externis signis, qui  
 bus ecclesia catholica vtitur, contendunt. Igna-  
 tius vicinus Apostolorum temporibus, Iohan-  
 nis euangelistę discipulus, nec non & marty-  
 rij gloria conspicuus, etiam manuum impositi-  
 onum meminit, quum dicit: Sacerdotes bapti-  
 zant, sacerdotium agunt, ordinant, manus im-  
 ponunt. De ordinatione episcopi hoc statutum  
 legimus in concilio Nicæno, vt episcopus (si fi-  
 eri potest) a totius prouincię episcopis ordinetur: *Lib. 10. his-  
 to. eccl. ca. 6.*  
 Si hoc difficile est, certe non minus quam  
 a tribus, ita tamen, vt Metropolitanus episcopi  
 maxime vel præsentiā vel autoritas habeatur  
 absque quo ordinationem irritam esse volue-  
 runt. Et post pauca: Sed & diaconissas, quoniā  
 quidem manus impositionem non accipiūt, e-  
 tiam ipsas inter laicos esse volumus.

¶ In sacramento ordinis, septem solent assi-  
 gnari gradus ecclesiastici, nempe, ostiarij, lecto-  
 res, exorcistę, acolythi, subdiaco. diaco. sacer-  
 dotes. Quamuis autem tales gradus in ecclesia  
 sint plures, ipsum tamen ordinis sacramentū  
 vnum est, ratione perfectiōis & finis. Etenim  
 ordinis sacramentum duo respicit, eucharistię

consecrationem, & debitam populi ad sumendam eucharistiam preparationem. Ad sacerdotem autem siue presbyterum pertinet sacramentum corporis & sanguinis domini in altari dei cōficere, orationes dicere, & dona dei benedicere. Huic seruiunt diaconus & hypodiconus, quem nos subdiaconum appellamus, cuius est calicem & patinam ad altare Christi deferre. Similiter & diacones sacerdotibus assistunt & ministrant in omnibus quæ in sacramentis aguntur, in patina & calice. Horum est componere mensam domini, prædicare populo euangelium & epistolam. Hi tres prædicti ordines maiores dicuntur, & quodam excellentiori modo sacri dicuntur, super alios quatuor, quæ minores dicuntur, & non sacri, quia non versantur hoc modo circa sacramentum. Acolythi enim, qui & ceroferarii, luminaria parant in sacrario, cereum portant quando legendum est euangelium & sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria & deportantur ab eis, non ad effugandas aeris tenebras, quum sol eo tempore rutilat, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua legitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hi etiam urceolum cum vino & aqua pro eucharistia subdiaconis præparant. Iam reliqui tres ordines pertinent ad dignam populi preparationem, in ijs quæ sunt cultus diuini. Lector enim a legendo vocabulum traxit, Vnde & lectoris est



lectiones pronunciare, & ea quæ prædixerunt prophetæ, populis prædicare. Ostiarij, q̄ & ianitores, ostijs præsumunt, ne quis ingrediatur immundus. Dignos recipiunt, indignos respuunt. Vñ quibz ordinantur, clauēs ecclesiæ eis traduntur ab episcopo. Sequuntur & exorcistæ, quorum officium est, vt super catechumenos eosq̄ qui spū immundo vexantur, per inuocationem diuini nominis, dæmonium adiurent atq̄ expellant. Hoc honore dignatus est beatus Hilarius episcopus sanctum Martinum. Nam quum relicta militia, iam Christi lauacro regeneratus, & Chrianiæ militiæ ascriptus, ad sanctum Hilarium sese cõtulisset, & Hila. vt arctius sibi eū implicaret atq̄ astringeret, imposuisset illi diaconi officium, vt sic ministerio cõstrictus & vinctus diuino, necessario maneret, restitit episcopo Martinus, indignū se eē subinde vociferās. Tādē obtulit ei officium exorcistæ, & exorcistā eē præcepit, quā ordinatio. tāq̄ humiliorē, ille nō repudiavit, quīs in ea qdā iniuriæ locus videretur. Si igitur maiorib. istis ordinib. addatur episcopatus, & minorib. adiungantur psalmistæ a canēdis psal. sic appellati, nouē erūt ordines ministroꝝ in eccle. militāte: sicut sunt nouē angeloz siue beatoꝝ ordines in ecclesia triumphāte. Et tñ si ad perpendicularum explorare velimus episcopatus & psalmistarum rationes eis forte non admodum competet ordinis, vt sacramentum est, ratio. Nam episcopus ex ordinatione sua nō habet ampliorem potestatem super verū Christi corpus, ad quod conficiendū in sacramento eucharistiæ, ordo ipse vt sacra-

Hilarius.  
Martinus

Hierony.

mentum est, ab ipso Christo est institutus, quã quicumq; alius sacerdos. Docet hoc perspicue Hieronymus ad Euagrium scribens, quum dicit: Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? Vnde Apostolus eosdem docet esse presbyteros quos episcopos, ad quorum preces Christi corpus sanguisq; conficitur. Episcopus enim dicitur superintendens. Quod autem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens Christi ecclesiam, rumperet. Potestatem ergo habet excellentiorem episcopus super mysticum Christi corpus, quod est ecclesia, in actionibus hierarchicis, quia cõfert ordines, episcopos consecrat, confirmat baptizatos, benedicit virgines & abbates, & huiuscemodi potestatem habet in multis alijs rebus, quam nõ habet quilibet sacerdos. Et quia episcopus hæc potestatem habet super sacerdotium, episcopatus ordo dici potest iuxta primam acceptiõem ordinis in principio huius capituli positam. Nec etiam psalmistis ratio ordinis vt sacramentum est comperit. Psalmistæ enim a psalmis canendis dicti sunt. Cantant enim vt animos audientium excitent.

Aug. li. 10  
Confess.

¶ Dictu mixtũ quum exhilaratus sit Augustinus ecclesiæ canticis suaue sonantibus in principio conuersionis suæ. Aliquando, inquit, amplius mihi videor honoris eis tribuere quã decet, dum ipsis sanctis dictis religiosius et ardentius sentio moueri animos nostros in flamma pietatis, quũ ita cantantur, quã si nõ ita cantarentur, & omnes affectus spūs nostri pro suaui

diuersitate habere proprios modos in voce at-  
 que cantu, quorum nescio qua occulta familiarita-  
 te excitentur. Deinde Athanasij Alexandrini  
 episcopi exemplum commemorat, quod tam mo-  
 dico flexu vocis faciebat sonare lectorem psal-  
 mi, ut pronuncianti vicinior esset quam canen-  
 ti. Veruntamen, inquit, quum reminiscor la-  
 chrymas meas, quas fudi ad cantus ecclesie  
 tue, in primordijs recuperatae fidei meae, &  
 nunc ipso commoueor non cantu, sed rebus quae  
 cantantur, quum liquida voce & conuenien-  
 tissima modulatione cantantur, magnam insti-  
 tuti huius utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo-  
 inter periculum voluptatis & experimentum  
 salubritatis, magisque adducor, non quidem ir-  
 retractabilem sententiam proferens, cantandi  
 consuetudinem approbare in ecclesia, ut per  
 oblectamenta aurium infirmior animus in af-  
 fectum pietatis assurgat. Et lib. 9. de institutio-  
 ne hymnorum, ait: Quantum fleui in hymnis et can-  
 ticis tuis suauiter sonantibus ecclesiae tuae vocibus  
 commotus acriter. Voces illae influebant auri-  
 bus meis, & eliquabatur veritas tua in cor me-  
 um, & ex ea astuabat inde affectus pietatis, et  
 currebant lachrymae, & bene mihi erat cum  
 eis. Non longe ceperat Mediolanensis eccle-  
 sia genus hoc consolationis et exhortationis ce-  
 lebrare magno studio fratrum concinentium voci-  
 bus & cordibus. Nimirum annus erat aut non mul-  
 to amplius, quam Iustina Valentiniani regis pue-  
 ri mater, hominem tuum Ambrosium persequere-  
 tur haereticis suae causa, quae fuerat seducta ab Ar-  
 rianis, Excubabat pia plebs in ecclesia, mori

Aug. lib. 9.  
 confess.

parata cum episcopo suo seruo tuo. Tūc hymni & psalmi, vt canerentur secundū morē orientaliū partium, ne populus mœroris tēdio contabesceret, institutū est, & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac pene oibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus. Sed & Socrates Constantinopolitanus lib. X. hist: eccles. tripart. ca. IX. refert vnde sumpserit initium, vt in ecclesia Antiphonæ decantentur, dicitq; Ignatium Antiochiæ Syriæ tertium post apostolum Petrum episcopum, quē etiam vixisse constat cum ipsis apostolis, vidisse angelorū visionē, quomodo per Antiphonas sanctæ Trinitati dicerēt hymnos, ipsumq; modū visionis Antiochenæ tradidisse probatur ecclesiæ, qui ex hoc ad cunctas transiuit ecclesias.

Horæ canonicæ

¶ Hæc obiter aduersus nri temporis Aristarchos dicta sint, q; cœlū terræ miscentes dā nāt ac rephendūt ea q; ne Momus qdē ipse careret. Cantandi enim in ecclesia cōsuetudinem tot annorum centenarijs obseruatam, ceu supersticiosam, lacerāt, atq; abominantur. Cere monias ecclesiæ, quibus infirmior animus in affectum pietatis assurgit, pro nihilo ducūt, & quod peius est, Iudaicis superstitionibus cōparant. Et quoniam ad hunc locum peruenimus visum est & de horis canonicis, q; certis tēporū interuallis in ecclesia cātātur, nō nihil dicere. Si qdem & ipsas mīx in modū, vtpote hūa statuta ac figmenta, ore sacrilego execrātur. Atque vt ipsas contra improbos defendamas, haud longe nobis petendæ sunt probationes. Vnius

nobis Cypriani sufficiat autoritas, quem ideo libentius commemoro, quod non solum doctrina aut eloquentia nemini sit secundus, sed etiā martyrio conspicuus, ad immortalitatis lauream sit euocatus. Sic em̄ scribit in sermone de oratione dominica: In orationibus celebrādis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramēto scilicet trinitatis, quæ in nouissimis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerū trinitatis ostendit. Itemq; ad sextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando a septima nona completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur, quæ horarum spacia iam pridem spiritualiter determinantes adoratores dei statutis & legitimis ad precem temporibus seruiebant, & manifesta postmodum res est, sacramentum olim fuisse, quod ante sic iusti precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit spiritus sanctus, qui gratiam dominicæ repromissionis impleuit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens signo pariter & voce dei monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, quum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et dominus hora sexta crucifixus ad nonam, peccata nra sanguine suo abluit, & ut redimeret & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis fratres delectissimi, præter horas antiquitus obseruatas orandi

Orandi tē  
pora.

Prima.

Tertia.

Sexta.

Nona.

Actu. 2.

Actu. 10.

Matth. 17.

Ioh. 19.

nunc & spacia & sacramenta creuerunt. Nā  
& mane orādum est, vt resurrectio domini ma-  
tutina oratione celebretur, quod olim spūsan-  
ctus designabat in psalmis, dicens: Rex meus  
& deus meus, quoniā ad te orabo domine ma-  
ne, & exaudies vocem meam, mane assistam  
tibi, & contēplabor te. Et itē per prophetam  
loquitur dñs: Diluculo vigilabūt ad me, dicētes:  
Eamus & reuertamur ad dñm deum nostrū.  
Recedente item sole ac die cessante, necessario  
rursum orādum est. Nam quia Christus sol ve-  
ritis, & dies verus est, sole ac die seculi receden-  
te, quādo oramus ac petimus, vt super nos lux  
denuo veniat, Christi pcamur aduentum, lucis  
æternæ grām præbituræ. Et paucis interiectis  
dicit: Qui autē in Christo, hoc est, in lumine sem-  
per sumus, nec noctibus ab oratione cessemus.  
Sic Anna vidua sine intermissione rogans sem-  
per & vigilans, perseuerabat in promerendo  
deo, sicut in euangelio scriptum est: Non rece-  
debat, inquit, de templo, ieiunijs & oratiōibus  
seruiens nocte ac die. Nescio profecto, an quis  
accuratius legitima ac statuta psallēdi et oran-  
di tempora, enumerare possit. Nam hora pri-  
ma, tertia, sexta, nona, docet orandum. Item  
nec vesperi, nec nocte, nec mane, ab oratione  
cessandum: sicut adhuc fieri videmus in eccle-  
sijs cathedralibus & collegijs religiosorū.  
¶ Nūc ad ordies, a quibus digressi sumus, reuer-  
tamur, de quibus tamen satis dictum arbitror.  
Nam de episcopatu quid attinet commemora-  
re, quum non vno loco, episcoporum munia de-  
scribat Apostolus? Et episcopatus, licet super  
maiores ordines sit, non tñ proprie nomen est

Psalm. 56

Orandum  
vesperi.Orandum  
nocte.

Luc. 2

ordinis, sed magis dignitatis vel officij. Oēs isti in dictis ordinibus constituti, clerici vocantur, quia de sorte domini sunt, vel quia deum patrem habent. Cleros enim græce, latine fors vel hæreditas dicitur. Et horum omnium ordinatio ab episcopo pendet. De istis ordinibus siue gradibus ecclesiasticis meminit Cornelius Rom. pont. scribens Fabiano, de ordinatione Nouati, qui & princeps hæreseos exitit Nouatianorum, qui ab ecclesia separati, super bo nomine semetipsos Catharos, id est, mundos appellarunt. Nouatus, inquit, qui euangelium vendicabat, nesciebat in ecclesia catholica vnum episcopum esse debere, vbi videbat esse presbyteros quadraginta & sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos quadraginta & duos, exorcistas & lectores cum ostiarijs quinquaginta & duos, viduas cum indigentibus mille quingentas: quos omnes deus alit in ecclesia sua. Et sanctus martyr Ignatius Antiochenus episcopus; Saluto, inquit, subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, id est, acolythos, exorcistas, atque confessores. Saluto custodes sanctarum portarum, diaconifas quæ sunt in Christo. Hæc eo nomine adduxi, ne quis criminetur, ista officiorum aut ordinum vocabula, recens inuenta, aut intra paucos annos nata.

¶ Nam scripturis confirmabimus, istos ordinum gradus & officia in ecclesia esse, ex institutione Christi. Dicit enim euangelista: Conuocatis Iesus duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent

Euseb. Cæsari. histo. eccl. lib. 6. cap. 34.

Ignatius. Epist. 8. ad Antioch.

Matth. 10.

eos, & curarent omnem languorem, & omne  
 infirmitatem. Duodecim autem apostolorum  
 nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus,  
 & Andreas frater eius. &c. Et apud Marcum  
**Marc. 3.** Ascendens Iesus in montem, vocauit ad se quos  
 voluit ipse, & venerunt ad eum. Et fecit ut es-  
 sent duodecim cum illo, & ut mitteret eos præ-  
 dicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmi-  
 tates, & eijciendi dæmonia. Et imposuit Simo-  
 ni nomen Petrus, & Iacobum zebedei, &c.  
**Luc. 9.** Lucas quoque narrat dicens: Conuocatis Iesus  
**Luc. 10.** duodecim apostolis, dedit illis virtutem & po-  
 testatem super omnia dæmonia, & ut languo-  
 res curarent. Et misit illos prædicare regnum  
 dei, & sanare infirmos. Et post ordinationem  
 duodecim apostolorum, designauit dominus & alios  
 septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem  
 suam, in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse ventu-  
 rus. Voluit ergo Christus esse in ecclesia officiorum  
 & ministrorum dignitatumque diuersitatem, & ex du-  
 odecim apostolo, in quorum locum succedunt episco-  
 pi, unum voluit esse supremum, & generale eccle-  
 siæ pastorem, quem in cælum cõscensurus suum in ter-  
 ris reliquit vicarium, Petrum videlicet, super quem  
 post tam sublimem ac magnificam fidei confessionem  
 qua Christum filium dei viui cõfessus fuerat, promi-  
 sit se ædificaturum ecclesiam suam, dicens: Tu es Pe-  
**Matt. 16.** trus, & super hæc petram ædificabo ecclesiam meam  
 & portæ inferi non preualebunt aduersus eam. Et ti-  
 bi dabo clauis regni cælorum. Et quodcumque liga-  
 ueris super terram, erit ligatum & in cælis. Et  
 quodcumque solueris super terram, erit solutum & in  
 cælis. Huic promissioni satisfecit Christus quando  
 post resurrectionem suam ceteris pretermisissis, lice-



presentibus, vni Petro, vniuersalis ecclesie cura  
 commisit. Nam quum ter illum interrogasset, num  
 se plus ceteris diligeret, illoque verecunde ac  
 humiliter respondente, etiam dñe, tu scis, quia a-  
 mo te, ter quoque Christus subiunxit: Pasce ag-  
 nos meos, pasce oues meas. Vbi Chrysost. di-  
 cit: Præteriens alios, Petro loquitur: Præposi-  
 tus esto loco mei, & caput fratrum tuorum. Et Leo  
 papa (huic in Calcedonenſi. consilio a sexcentis  
 & triginta episcopis propter vitæ sanctitatem  
 & doctrinæ eruditionem, ter sanctus fuit accla-  
 matum) ita inquit dñs huius muneris sacramentum  
 ad oim apost. officium pertinere voluit, vt in be-  
 atiff. Petro apost. oim summo principaliter col-  
 locaret, vt ab ipso, quasi a quodam capite dona  
 sua velut in corpus omne diffunderet. Et sicut  
 Petro succedit summus pontifex in ecclesia,  
 ita & eadem dignitas eademque ecclesie cura,  
 in successorem Petri transit, ita vt papa sit ve-  
 rus Chri vicarius a Chro institutus, & supre-  
 mus CHRISTI gregis pastor & rector,  
 qualem Petrum fuisse, extra controuersiam est.  
 Septuaginta autem duorum discipulorum locum  
 tenent sacerdotes siue presbyteri, sicut & apo-  
 stolorum episcopi, de quibus ait PAVLVS:  
 Qui bene præsunt presbyteri, duplici digni  
 sunt honore. Et iterum: Rogamus vos fratres,  
 vt agnoscatis eos, qui laborant inter vos, vt  
 habeatis eos in summo precio. Et ali-  
 bi: Attendite vobis & vniuerso gregi, in  
 quo vos spiritus sanctus posuit episcopos re-  
 gere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine

dist. 9. c.  
 Ita dom.

dist. 21. c.  
 In nouo.

1. Tim. 5.

1. Thess. 5.

Act. 20.

1. Pet. 5.

suo. Et Petrus: Pascite qui in vobis est: gregem  
 dei, ut quum apparuerit princeps pastorum, perci-  
 piatis immarcessibilem aeternae gloriae coronam  
 Diacones quoque altaris, iungit Aposto. Paulus  
 episcopis, ubi ait: Oibus sanctis in Christo Iesu,  
 qui sunt Philippis cum episcopis & diaconibus.  
 Gratia vobis & pax a deo, & domino Iesu Chri-  
 sto. Et alio loco: Oportet episcopum irrepra-  
 hensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium  
 prudentem, &c. Positisque episcopi conditio-  
 nibus, quales esse debeant, mox subnectit, qua-  
 les esse oporteat diacones, dicens: Diacones si-  
 militer pudicos, non bilingues, non multo  
 vino deditos, non turpe lucrum sectantes, ha-  
 bentes mysterium fidei in conscientia pura. Ha-  
 bemus hic manifestum discrimen inter episco-  
 pos, in quibus & presbyteri continentur, & dia-  
 cones. Presbyter, inquit Hieronymus, & epi-  
 scopus, aliud aetatis est nomen, aliud dignitatis  
 & in episcopo presbyter continetur. Qui pro-  
 uehitur, de minori ad maius prouehitur. Quum  
 ergo quis ex diacono ordinetur presbyter, no-  
 uerit se lucris minorem, sacerdotio maiorem esse.  
 Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros  
 turba contemptibiles facit. De reliqua vero or-  
 dinum, graduum, ministrorum, officiorumque  
 discretionem, fortasse nimis longum esset per sin-  
 gula dicere, & idcirco ista missa facere, certum  
 est. Si quis tamen exactius de his certior fieri vo-  
 luerit, videat decret. dist. 21: ca. Cleros, & dist.  
 24: ca. perlectis, magistrum sententiarum dist.  
 XXIII. quarti libri.

¶ Non abs re fuerit, hoc loco Cardinalium

Splendorem dignitatemq; paucis expendere.  
 Huic enim hominū generi heretici vsque adeo  
 sunt infesti, vt ne nomen quidem ipsum absq;  
 stomacho & inuidia vel audire vel proferre  
 possint. Et quia ipsum nomen cardinalis in sa-  
 cris literis non inueniunt, simul cum nomine  
 damnant id, quod per nomen significatur: Mi-  
 hi tamen verissimile non fit, ipsum nomē pror-  
 sus esse commentitium & inane, quamuis in  
 scripturis sacris ipm vocabulum non inuenia-  
 tur, aut in euangelio: sicut & multa alia sunt,  
 quorum nomina in euangelio aut apostolicis  
 scriptis non inueniuntur, vt est papatus, & cæ-  
 tera ecclesiasticarum dignitatū nomina. Nam  
 si rem ipsam per nomen significatam & ex-  
 pressam penitus introspexerimus, fortassis  
 non tam molesti erimus galero Cardina-  
 litio. Quando enim constat de re, qd opus est  
 disputare de noīe? Cardinalitia ergo dignitas  
 haud obscurum videtur habere fundamentū  
 ex euangelio, vbi Christus vocauit ad se, quos  
 voluit ipse, & fecit vt essent duodecim cum il-  
 lo. Et in veteri testamento hanc dignitatem fi-  
 guris adumbratam videmus. Primum in illis,  
 quos Moses, cognato eius Ietro authore dele-  
 git in auxilium suum ad indicandū populum  
 Israeliticum. Deinde in sacerdotibus Leuitici  
 generis, de quibus dicitur: Si difficile & ambi-  
 guum apud te iudicium prospexeris, surge &  
 ascende ad locum, quem elegerit dominus de-  
 us tuus, veniesque ad sacerdotes LEVITICI  
 generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempo-  
 re, quæresque ab eis, qui iudicabunt iudicij ve-  
 ritatem: & facies quodcunque dixerint qui

Marc. 3.  
 Exod. 18.

Deut. 17.

H

Extr. Qui  
si. sint les  
gi.

dist. 22. ca  
de constā.

præsunt loco, quem elegerit dominus. Hunc lo-  
cum Innocentius tertius tractans, dicit: Sane  
quum Deuteronomium lex secunda interp̄te-  
tur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi  
decernitur, in nouo testamento debeat obserua-  
ri. Locus enim quem elegit dñs, apostolica se-  
des esse cognoscitur. Et iterum: Sunt autem sacer-  
dotes Leuitici generis fratres nostri, qui in iu-  
re Leuitico in exequutione sacerdotalis officij  
coadiutores, id est, cardinales, existunt. Dicun-  
tur autem cardinales, quia sicut in cardine ver-  
titur ostium, ita in cardinalibus vertuntur tra-  
ctanturq; negocia & consilia ecclesiæ, & ob  
id adsistunt summo pontifici, sicut apostoli Chri-  
sto. Et quemadmodum apostoli nūcupati sunt  
fratres CHRISTI, & mūdi principes:  
ita papa Christi Vicarius, quum cardinales in-  
stituit ac facit, dicit: Estote fratres mei & prin-  
cipes mundi. Vnde in ca. fundamenta, dicun-  
tur fratres, coadiutores, consiliarij, & assisten-  
tes domini papæ. Cardinales itaq; licet ordi-  
nis potestate sacerdotibus (hac enim potestate,  
qui sacerdos tantum est, etiam cardinali diaco-  
no haud dubie maior est) sint inferiores, gradu  
tamen atq; loci dignitate, ipsis episcopis lōge  
superiores existunt. Vt enim Romana sedes  
omnibus alijs & prior & excellentior est, &  
omnium (vt ita dicam) domina ac magistra: ita  
rationi consentaneum est, vt clerici ac ministri  
sedis illius, quadam singulari dignitate præ cæ-  
teris fulgeant, vt cardinales Romanæ ecclesiæ  
omnibus alijs Prælati præferantur honoris di-

gnitate. Quis enim ignorat Romanā ecclesiā  
duobꝫ apostolorꝫ sanguine consecratā, esse prin-  
cipalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est,  
cuius fides Apostolo prædicāte laudata est, ad  
quam perfidia nō potest habere accessum. Vnde  
de Hieronymus Damaso papæ scribens ait: **Rom. 2**  
Apud vos solos. i. Romanos, incorrupta patrū  
seruatur hæreditas, Ego nullum primum, nisi  
Ch̄m sequens, beatitudini tuæ. i. cathedrę Pe-  
tri cōmunionē consocior, super illam petram  
ædificatam ecclesiā scio. Quicumqꝫ extra hāc  
domum agnum comederit, prophan⁹ est. Si qꝫ  
in arca Noe non fuerit, peribit regnāte diluuiō.  
Et Tertullianus: Habes, inquit, Romanam ec-  
clesiam, vnde nobis quoqꝫ autoritas præsto est  
statuta. Felix ecclesia, cui totam doctrinā apo-  
stoli cum sanguine suo profuderunt. Vbi Petrus  
passioni dominicę adæquatur, vbi Paulus Io-  
hannis exitu coronatur, vbi Apostolus Iohan-  
nes, posteaquam in oleum igneum demersus,  
nihil passus est, in insulam relegatur. Ignatius  
quoqꝫ his suum calculum addit: Dicit enim  
Petrum crucifixum, Paulum gladio trunca-  
tum, Iohannem in pathmū relegatum. Quum  
ergo omnes Romanam ecclesiam, hoc est, Pe-  
tri cathedram, sicut ecclesię catholicę (vt Cy-  
priani verbis vtar) matricem & radicem, me-  
rito debeant agnoscere et tenere: nihil mirum,  
si ministri illius in summo honoris culmine su-  
per alios collocentur. Accipiunt autem  
Cardinales a summo Pontifice rubeum il-  
lum galerum, tanquam signum eximie cha-  
H 2

**Rom. 2****Hierony.****Tertullia.**  
de p̄scrip.  
hæreti.**Ignatius**  
epist. 3. ad  
Tarsenses**Cypri. ad**  
Corn. pa-  
lib. 4. epis.  
epist. 4

ritatis, qua succenssi ardere debent, & alijs lutere: ita, vt parati sint, si res ex postulauerit, sanguinem suum fundere pro defensione fidei & ecclesie. Eadem quoque ratione episcopi, & ceteri ecclesiastici prelati purpura & rubeis vtuntur vestimentis.

**Q**Uod num nunc atque alterum telum afferam quo ordinis sacramentum iugulare concedit Lutherus. Principio, inquit, hoc sacramentum ecclesia Christi ignorat, inuentumque est ab ecclesia papae, nullam habens promissionem gratiae, cuius ne mentio quidem fit in nouo testamento. Huic obiectioni iam magna ex parte responsum est. Nam prorsus falsum esse constat, quod dicit, ecclesiam Christi hoc sacramentum ignorare. Quomodo enim ignoraret, quod certa fide scit & tenet ab ipso CHRISTO capite suo in nouissimo, & na institutum, quando apostolos suos in sacerdotes ordinauit, & corporis sui & sanguinis consecrandi potestatem tribuit? Sed de hoc superius a nobis disputatum est. Quod vero dicit, hoc sacramentum inuentum ab ecclesia papae, non tantum falsum est, sed & haereticum. Non enim inuenit ecclesia quod a CHRISTO accepit institutum. Nec est alia Christi ecclesia, alia papae. Vna est ecclesia catholica, non alia CHRISTI, alia sui vicarij. Quicumque extra ecclesiam vicarij sui est, in ecclesia Christi esse non potest. At nullam, inquit, habet gratiae promissionem. Si Lutherus tam manifestam gratiae promissionem aut donationem requirit in omni sacramento

facile hoc vno telo perfodiet cætera sacramēta. Nos autem dicimus, quod sicut in quibusdā alijs sacramentis sufficit externum signum, per quod deus infundit gratiam suam; ita etiā in hoc sacramento, per signum visibile, hoc est per certam impositionē manuum episcopi, gratia confertur. In hoc enim consistit ratio sacramenti, quemadmodum in initio huius operis demonstrauius. Iam quod postremo dicit, ne verbum quidem scriptum in nouo testamento de hoc sacramento, absurdus est, quam vt refelli debeat, quum non solum sit falsum, quod asserit, sicut liquet ex scripturis adductis, ex euangelio & epistolis Pauli & actis apostolorū sed etiam ridiculum hoc modo argumētari. Nō est scriptū, ergo nō est; aut ergo nō est sacramētum. Et tñ vbiq; p̄cipue quando hæret atq; cōstrictus est, hanc eandē cantilenā, cuculi more nobis occinit dicens: Non legitur proinde non est. Nam hunc in modū etiam nugatur in sacramento confirmationis, matrimonij, & extremæ vnctionis. Locum habet hic illud Horatij: Ridetur chorda qui semper oberrat eadē.

Horat. in  
arte poet.

¶ Et ne pax insanire videatur, simili dexterritate proponit, imo opponit, nobis & aliam rationem. maxime, si vnq; alias, friuolā ac ridiculam. Conatur enim sanctus ille sacerdos docere, nullū esse discrimē sacerdotij, oēs ex æquo sacerdotes esse, imitatus (ni fallor) Hieroboam, qui peccare fecit Israel, & constituit sacerdotes de extremis populi, q non erāt de tribu Levi. Impudencior tñ Luth, q etiam mulieribus sacerdotium permittit, quod impius ille

3. Reg. 12.

rex Israel non fecit. Demiror profecto patres in synodo Nicæna tam cæcos fuisse, vt decernerent diaconissas (qm̄ manus impositionem nō accipiūt) etiā ip̄as inter laicos eē debere, vt refert Ruffinus eccl. hist. li. X. ca. VI. Nā quō diaconissæ inter laicos deputabūtur, si nemo est laicus, sed oēs sunt sacerdotes? Sed qd̄ valebūt statuta eiusdem synodi, videlicet ne quis nuper assumptus ex vita vel cōuersatione gentili, accepto baptis. anteq̄ cautius examinetur, clericus fiat, & vt episcopus (si fieri potest) a totius prouinciæ episcopis ordinetur. Si hoc difficile est, certe non minus quam a tribus, ita tamen, vt Metropolitanis episcopi maxime vel præsentia, vel autoritas habeatur, absq̄ quo irritā ordinationem esse voluerunt, & ne in vna ciuitate duo sint episcopi: si ordo nihil est, nullum que discriminē sacerdotij? Vñ sacrilegū hoc Lutheri dogma euertit planissime statuta ac fidē sacrosancti concilij Niceni. Mordetur Herodes Iosepho narrante, q̄ postq̄ regnū sibi externi gn̄is hoī Iudæorū a Romanis concessum fuerat, nō iā secunđū generis ordinē pontifices constituerit, sed ignobilibus quibusq̄ sacerdotia permiserit. At quāto maiori ebrius insania Lutherus, non ignobilibus tantum & laicis, sed etiam mulierculis sacerdotij ius & honorē concedens? Et quum apud ipsum confusionis authorem non sit masculus aut fœmina, nec vl̄ la officiorū ecclesiasticorū ratione sexus discretio, eadem ratione assignet etiam cum Platone cetera marium officia fœminis, doceatq̄ oportere & mulieres militare, & cōsilijs publicis in

Iosephus.



eresse, magistratus gerere & imperia suscipere. Quod si fecerit, consequens est, vt lanam & telam & infantium gestationes assignet viris.

¶ At videamus, quas rōes aut potius nugas pro se afferat. Oēs, inquit, sumus æqualiter sacerdotes quotquot baptizati sumus. Atque ne quis forte istud ceu phrenetici cuiusdā capitis somnium, rideat, scripturis nritur, & Petrum apost. affert dicentē: Vos estis genus electum, regale sacerdotium. Similit & Io. pro se citat dicentē in Apo. Christus dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes deo & patri suo. Et iterum: Fecisti nos deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Hæ sunt egregiæ illæ Lutheri rationes, quibus dogma suum, nescio perniciosum magis an ridiculum, statueret molitur, oēs Christianos ex æquo esse sacerdotes. His argumentis sacerdotes redigit in classē laicorum, & honorē, quem adimit sacerdotibus, tribuit laicis. Ne ergo sacra cum ipso cogamur miscere prophanis & oia diuina ac huius confundere, ne dicam pessundare, respondebo quoad potero pauciss. & iuxta sapiētis dictum stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. Ea igitur quæ Petrus aut Iohan. dicit, non negamus, sed ex his minime sequitur, oēs Christianos ex æquo sacerdotes esse, licet forte posset colligi, oēs Christianos esse sacerdotes. Quod quo magis fiat perspicuum, considerandum est, sacerdotium non vno aut eodem modo in scripturis accipi. Et quia verbis meis quis facile (vt nunc sunt hereticorum ingenia ad reclamandum composita) posset obstrepere, afferam August. qui exponens illud Apo.

1. Pet. 2.

Apoca. 1.

Apoca. 5.

Prouer. 16

sed erūt sacerdotes dei & Christi, & regnabūt cum eo mille annis, ait: Non vtiq; de solis episcopis & presbyteris dictum est, qui proprie iam in ecclesia vocātur sacerdotes: sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum chrisma: sic omnes sacerdotes, qm̄ mēbra sunt vnius sacerdotis. Hoc mō martyr Cyprianus oēs Christianos docet eē sacerdotes in eo sermone, quem scripsit de vnctione chrisomatis, sicut superius retulimus de sacramento confirmationis. Disputat B. Hieronymus aduersus Luciferianos, qui laicum ab Arrianis venientē, & errata sua confitentem ad pœnitentiam receperūt, moti videlicet hac ratione, quia dñs mauult pœnitentiam peccatoris, q̄ mortem: episcopum autem ab Arrianis venientem recipere recusabant, nisi deposito sacerdotio, quū tñ eadem ratiōe episcopus iuxta ac laicus ad pœnitentiam recipiendus videatur. Retorquet ergo Hieronymus argumentum in ipsos, dicēs: Si dñs mauult pœnitentiam q̄ mortem peccatoris, quare ep̄m pœnitentem non recipitis? Recipimus, inquiunt, sed deposito prius sacerdotio. Et Hieronymus: Si laicus, inquit, se errasse confitetur, quomodo perseuerat? Deponat sacerdotium laici, id est, baptisma, & ego do veniam pœnitēti. Scriptum est enim: Regnū qp̄pe nos & sacerdotes deo & patri suo fecit. Et iterum, Genus sanctum, regale sacerdotium, populum acquisitum. Omne quod licet Christiano, cōmune est tam episcopo q̄ laico. Qui pœnitentiam agit, condemnat priora. Si non licet episcopo pœnitenti perseuerare in eo quod

Hierony.

Sacerdotium laici.  
Apoca. 1.  
1. Petri. 2.

fuerat, non licet laico pœnitenti in eo permanere, propter quod pœnitentiam confitetur. Et post multa subnectit dicens, Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate ac veneratione cōsistit, cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesijs efficiuntur schismata, quot sacerdotes. Inde ideo venit, vt sine chrismate, & episcopi iussione, neque presbyter neque diaconus ius habeat baptizandi. Quod frequenter (si tñ necessitas cogit) scimus licere laicis. Duplex ergo sacerdotium iuxta Augustini sententiã, habes ex sacris scripturis. Alterum quod proprie sacerdotium dicitur, alterum improprie dicitur sacerdotiũ, secundum quandam participationem sacerdotij Christi, cuius omnes membra sumus. Ex Hieronymo item habes, sacerdotium quoddam esse laicum, i. sine ordine, & quoddam hierarchicum, quod per ordinationẽ episcopi alicui traditur, quod Christus instituit, & apostoli nobis commendarunt.

¶ Quamuis ea quæ diximus satis esse possent, ad euertendam Lutheri caluminã, & ad delegendas hæreticorum strophas in sacramento ordinis: tamen vt etiam quis mediocriter doctus intelligat non omnes Christianos ex æquo sacerdotes esse, pinguiori (quod aiunt) Minerua, de sacerdotio pauca lubet adijcere. Caietan<sup>o</sup> ergo Cardinalis toto bñ notus in orbe, tractans adductas modo Petri & Iohannis auctoritates, in libro qui inscribitur Ientaculum, de sacerdotio ait: In duplici significantia inuenitur sacerdotium in sacra scriptura, vel pro-

Heb. 5.

prie vel secundum similitudinem seu participationem quandam. Sacerdos proprie loquendo, definitur ab Apostolo, ubi dicit: Omnis pontifex (in pontifice Apostolus comprehendit & sacerdotem, quod frequenter facit, vel Hieronymo teste ad Euagriū) ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ ad deū sunt, ut offerat deo dona & sacrificia pro peccatis. Ex qua quidem definitione (ut simus animalia munda & ruminantia) duo colligi possunt. Primum sacerdotis (si proprie de sacerdote loquimur) nomen esse ordinis seu officij publici, ad offerendum deo sacrificium. Sacerdotem vero, quem similitudine quadam siue per metaphoram diximus, nomen esse virtutis, quam religionem seu sanctitatem appellare solemus, qua DEO diuinum cultum & honorem debitum exhibemus. Unde beatus PETRVS dicit: Ad quem accedentes & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domos spirituales in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias acceptabiles deo per IESVM CHRISTVM. Secundo habes tres condiciones requisitas ad externum sacerdotium, quod proprie sacerdotium dicitur. Prima, quod is qui in sacerdotem assumitur, sit ex hominibus non sacerdotibus assumptus. Et hinc nascitur quidam gradus dignitatis. Secunda est ut constituatur pro hominibus, in ædificationem ecclesiæ, ita ut sit mediator inter deum & homines, & pro hominibus in his quæ sunt ad de-

1. Petr. 2.

um. Tertia est, quod offerat sacrificia. Solis enim sacerdotibus competit excellentissimum istud sacrificium corporis & sanguinis domini nostri IESV CHRISTI in memoriam passionis eius, pro hominibus offerre. Nam sacrificium iustitiæ, sacrificium laudis, sacrificium orationis, & si quæ sunt alia sacrificiorum genera, de quibus scriptura meminit, non ad externum, sed ad spirituale sacerdotium pertinent, quod est omnibus Christianis commune. Quicumque enim vnquam in CHRISTVM crediderunt, vel nunc credunt, ad huiusmodi spirituales hostias offerendas, astricti fuerunt: nec tamen omnes proprie sacerdotes fuerunt. Nunquam sacerdotium aut sacerdotem proprie intelligas, nisi has tres condiciones in eo inueneris, ita vt ex officio, quo sacerdos est, sibi competant. Quamuis enim ipsa charitas postulet, vt oremus pro inuicem, sicut IACOBVS apostolus nos hortatur, & oratio dominica indicat: tñ hoc peculiariter & ex officio incumbit sacerdotib⁹, q̄ & ministri dei dicuntur, vt orēt pro populo. Quod verè esse, tã vetus q̄ nouū testamētum testatur, sicut patet Numeri xv. & Leui. xij. & xiiij. & multis alijs locis. Eodem modo ad sacerdotem pertinet, vt ex officio sit mediator inter deum & populum, vt populus deo reconcilietur atque in gratiam cum deo redeat, quod sine verbo & sacramentis fieri non pōt. Offerunt etiam laici spirituales hostias, sicut Apostolus iubet dicens; Obsecro vos per misere *Roma. 12.*

Rom. 12.

ricordiā dei, vt exhibeatis corpora v̄ra hostiam sanctam, viuētem, deo placentem. Sed vitam illam hostiam, de qua Paulus dicit, tradidit semet ipsum oblationem & hostiam pro nobis in odorem suauitatis, offerre, solius est sacerdotis, qui per ecclesiæ præsidens ad hoc est vocatus & legitime ordinatus. Nemo se ingerat, nemo v̄surpet quod suum nō est. Nemo, inquit Apostolus, v̄surpet sibi honorem, sed q̄ vocatur a deo, quemadmodum & Aaron. Ita & Christus non seipsum glorificauit, vt pontifex fieret, sed is qui dixerat illi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sic apostoli a Christo sunt vocati, sic Matthias ab apostolis sorte electus est, & annumeratus v̄ndecim. Licet ergo omnes Christiani huiuscemodi spiritualibus oblationibus & operibus virtutum adsimulentur sacerdotibus, in hoc tamen haud parum a sacerdote (quem proprie sacerdotem dixim⁹) deficiūt, quod nō ex publico officio id ipsum faciunt, sicuti sacerdotes. Et quemadmodum offerendo deficiunt, ita & oblata siue sacrificia eorum sacrificiis sacerdotum conferri haud quaquam possunt. Quod ergo afferunt ex epistola Petri & Apocalypsi Iohannis, nihil pro illis facit, quia non loquuntur proprie de sacerdotio ecclesiæ. Et tamen donemus interim hoc hæreticis, vt & Petrus & Iohannes loquantur de sacerdotio proprie, non tamen ex hoc consequitur, omnes Christianos aut baptizatos ex æquo esse proprie sacerdotes, sed sacerdotalem dignitatem sic esse populo communem, vt habeat ex suis quosdam sa-

Ephē. 5.

Hebr. 5.

Actu. 1.

cerdotes. Pari ratioe ex eo quod sunt regnum,  
 non sequitur omnes esse reges, sed habere eos  
 regem. Alioqui si his scripturis mordicus in-  
 harere quispiam voluerit, vt Christiani omnes  
 sint reges & sacerdotes, respondeat mihi, an  
 omnes Iudæi fuerint sacerdotes & reges? Non  
 dicet, opinor, & si dixerit, insanum se esse de-  
 monstrabit. Quod si filii Israel non omnes re-  
 ges fuerunt & sacerdotes, nec Christiani oēs  
 erūt sacerdotes & reges. Siquidem Petrus ver-  
 ba ista ex veteri testamento desumpsit, vbi do-  
 minus per Moysen populo Israelitico, ait: Si  
 audieritis vocem meam, & custodieritis pa-  
 ctum meum, eritis mihi in peculium & in re-  
 gnum sacerdotale. Et quis adeo demens est, vt  
 somniet omnes Iudeos sacerdotes fuisse & re-  
 ges? Non enim promisit DEVS illi populo  
 suo, vt singuli essent futuri reges & sacerdo-  
 tes, sed quod habituri essent regem & sacer-  
 dotes in regno suo. Et sicut vere & proprie di-  
 citur apud IOHANNEM, Fecisti nos  
 deo nostro regnum, colligendo omnes Christi-  
 anos in regnum dei: ita verissime etiam dici-  
 tur, Fecisti nos sacerdotes deo, quia ex nobis  
 eos assumit, & sacerdotes pro nobis constitu-  
 it. Et hæc quidem dicta sunt, quasi Iohānes de  
 externo ecclesiæ sacerdotio secundum propri-  
 am ipsius sacerdotij intelligentiam, quod hie-  
 rarchicum sacerdotium nuncupare possumus  
 loquutus fuerit. Quod tamen vt concedamus,  
 nulla nos vrget, vel necessitas vel scriptura.  
 De alio sacerdotio, quod secundum quandam  
 participationem sacerdotium dicitur, & secū

Exod. 19.

1011 B

dum quādam metaphoram, satis dictum reor. Et si dicamus Iohannem & Petrum de hoc sacerdotio loqui, ne adhuc quidem obtinebunt hæretici omnes Christianos ex æquo sacerdotes esse. Et hæc de sacerdotio dicta sint, quod quia hæretici distinguere nolunt, in intricabiles incidunt errores. Nam ex verbis Petri apostoli & Iohannis nihil aliud colligi potest, nisi quod omnes baptizati, in spiritale regnum dei sunt adsciti & electi, in quo habet CHRISTVM regem, & sacerdotes offerentes ex publico sacerdotij ordine & officio dona & sacrificia deo pro peccatis eorum, in quo & suprema dignitas & honor Christi ani nominis consistit. Non tamen me clam est verba petri & Iohannis aliorum posse intelligi, & aliam admittere intelligentiam, sicut & modo docuimus. Quomodo autem omnes Christiani reges sint, ipsi viderint, qui hoc dogmatizare præsumunt. Ego ne umbram quidem regie dignitatis vel potentie ipsis inesse video. Nisi forte regnum istud ad spirituale intellectum referre voluerint. Et hoc si faciunt in regno, cur non admittunt in sacerdotio? Nos qui catholico lacte nutriti sumus, discamus fugere, aut potius deprehendere hæreticorum insidias, & cuniculos quibus veritas subvertitur. Non confundamus ecclesie pulchritudinem, quæ citra ordinem permanere non potest. Non faciamus ex domo dei, quæ est ecclesia, Babylonem & synagogam Sathanæ. Quin potius cum Hieronymo dicamus, Illam senex tenebo fidem, in qua puer na

Hierony.



tus sum. Adulteros istos, verbum dei adu-  
 rantes, iudicabit deus, qui se diuinis impuden-  
 ter atque indigne ingerit. De quo Cyprianus:  
 Qui contra ordinationem, inquit, dei nititur,  
 ob temeritatis audaciam, diuina animaduersi-  
 one punitur. Sic Chore & Dathan & Aby-  
 ron, qui sibi contra MOYSEN & Aaron  
 sacerdotem sacrificantes, licentiam vendica-  
 re conati sunt, pœnas statim pro suis conati-  
 bus penderunt. Terra compagibus ruptis in  
 profundum suum patuit, stantes atque viden-  
 tes recedentis soli hiatus absorbuir. Nec tantũ  
 eos qui autores fuerant dei indignantis ira per-  
 cussit, sed & cœteros ducentos quinquaginta,  
 participes eiusdem furoris & comites, qui co-  
 agulati cũ rjsdem simul ad audaciam fuerant,  
 exiens a domino ignis properata vltione con-  
 sumpsit, admonens scilicet & ostendens con-  
 tra deũ fieri, qd improbi fuerint ad destruen-  
 dã ordinationem dei humana volũtate conati.  
 Sic & Ozias rex, quum thuribulum ferens, &  
 contra legem dei sacrificium sibi violenter af-  
 sumens, resistente sibi Azaria sacerdote, ob-  
 temperare nollet & cedere, diuina indignatio-  
 ne confusus, & lepræ varietate in fronte ma-  
 culatus est, ea parte corporis notatus, offenso  
 domino, vbi signantur qui dominum promerẽ  
 tur. Et filij Aaron, qui imposuerunt altari ignẽ  
 alienum, quem non p̄ceperat dominus, in cõ-  
 spectu statim dñi vindicantis, extincti sunt,  
 quos imitantur scilicet atq̄ sectantur, qui dei  
 traditione contẽpta, alienas doctrinas appe-  
 tunt. Balthasar quoque rex temulentus bibens

Ad Pãma.  
 & Ocea.  
 de error.  
 Or g.  
 Cyprian<sup>9</sup>  
 de simpl.  
 prala.  
 Num. 16.

2. Par. 262  
 4. Reg. 5.

Leui. 10.

Danie. 5.

De. conf.  
dist. 1. ca.  
In sancta.  
& ca. vesti  
menta.  
2. Reg. 6.  
Num. 4.

Cypria.  
serm. de  
ablutione  
pedum.

ex vasis aureis & argenteis, quæ Nabuchodo-  
nosor pater eius asportauerat de templo dei, quod  
est in Hierusalem, vidit manum scribentem in pa-  
riete: Mane, Thetel, Phares, & eadem nocte in-  
terfectus est, & Darius Medus successit in re-  
gnum. Hinc sacri canones prohibent, ne laici  
prophanis manibus atrectare præsumant res  
sacras diuino cultui deputatas, ne pro talibus  
ausis ira dei defæuiat in nos. Oza qui calcitrã  
tibus bobus manum suam arcæ dei admouit,  
percussus a domino super temeritate, subito  
extinctus est. Ideoque iussit dominus, vt quan-  
do mouenda essent castra, filij Caath portaret  
vasa sanctuarij inuoluta ab Aaron & filijs e-  
ius, & nõ tangerent ea, ne morerentur.

¶ Sacramentum hoc ordinis iterari non po-  
test, ob indelebilem characterem, quem imprí-  
mit. Et licet hoc manifestum sit, tamen Cypri-  
ani autoritate hoc ipsum tueri conabimur. Di-  
cit enim baptismum repeti, ecclesiastica pro-  
hibent regulæ, & semel sanctificatis nulla de-  
inceps manus iterum consecrans præsumit ac-  
cedere. Nemo sacros ordines semel datos itere  
renouat, nemo sacro oleo lita iterum linat aut  
consecrat, nemo impositioni manuum vel mi-  
nisterijs derogat sacerdotum: quia contumelia  
esset spiritus sancti, si euacuari posset, quod ille  
sanctificat, vel aliena sanctificatio emendaret,  
quod ille semel statuit & confirmat. Ipse sum-  
mus sacerdos sui est sacramenti institutor &  
author. Et Augustinus: Quemadmodum, inquit,  
si fiat ordinatio cleri ad ad plebem congregã-  
dam, etiam si plebis congregatio non subse-

quatur, manet tamē in illis ordinatis, sacramē-  
tum ordinationis, & si aliqua culpa ab officio  
quisquam remoueat, sacramento domini se-  
mel imposito non carebit, quamuis ad iudici-  
um permanente.

## DE SACRAMENTO

pœnitentiæ.

## CAPVT

## IIII.



Post ordinis sacramentum deinceps  
de sacramento pœnitentiæ tracta-  
bimus, eo potissimum nomine, quod  
pœnitentem a peccatis absolvere  
nequeat, qui ordinis sacramentū  
non acceperit, nec quicquam digne eucharistiam  
possit vel conficere vel sumere, nisi ante verę  
pœnitentiæ lachrymis criminum suorum sordes  
abluerit. Propterea iusto ordine priusquam ad  
eucharistiæ sacramentum veniamus, de pœni-  
tentiā agere, certum est. Sumitur autem pœni-  
tentiā quatuor modis. Primo, ut est habitus quod-  
dam hominem inclinans ad pœnitendum, &  
quodammodo ad hoc ipsum reddens idoneum &  
aptum. Hoc modo pœnitentiā virtus est, in vo-  
luntate hominis consistens, facitque pœnitentem  
dolere de peccatis præteritis, sicut recta ratio  
postulat. Et definitur ab Augustino sic: Pœnitentiā  
est quædam dolentis vindicta, semper puni-  
ens in se, quod se commisisse dolet. Et hæc pœ-  
nitentiā, quam virtutem diximus, necessario  
vel præcedit vel concomitatur pœnitentiæ sa-  
cramentum, ita quod ijs, qui iam maturiores